



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Agenda, Sev Ritvale Osnabrvdense**

**Franz Wilhelm <Osnabrück, Bischof>**

**Coloniæ Agrippinæ**

Benedictio medicinæ, & antidoti.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41233**

*Deinde aspergantur herbe aquâ benedictâ, & thurificentur.*

*Benedictio Herbarum, quocunque tempore.*

**D**Escendat benedi-  
ctio Patris, & Filii,  
& Spiritus sancti, super hanc creaturam herbarum; ut, quicumque ex eis sumpserint, corporis & animæ salute potiantur. Per Dominum nostrum &c. *Resp.* Amen.

*Benedictio quorumcunque fructuum.*

**D**Eus, qui hos terræ fructus tua iussione & providentia progigni voluisti; nunc etiam eosdem bene-  
dicere & sancti-  
ficare digneris; ut, quicumque ex eis in tuo sancto nomine gustaverint, incolumes esse valeant. Per Dominum nostrum &c. *Resp.* Amen.

*Oratio, dicenda, quando ex herbis, aquâ & sale, benedictis, medicina loco aliquid porrigitur infirmo.*

*Oremus.*

**D**Eus, qui invisibiliter omnia contines, & tamen pro salute humani generis signa

D d d 2

tuæ

tuæ potentiaë visibiliter ostendis; qui es sine initio & sine fine; qui terram formasti super aquas: in nomine Redemptoris nostri, qui formam servi suscepit, & in specie vulnerati, medicus inter homines ambulavit, ut nos ab errore converteret, & languores nostros sanaret; præsta, sancte Pater omnipotens, supplicibus tuis, ut hæc medicamenta, ex diversis olerum generibus in unum congregata, cum sale & aqua benedicta, gustantibus, beato Petro intercedente, desideratam conferant sanitatem; ad laudem & gloriam sancti nominis tui, qui in Trinitate perenni vivis & regnas Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

*In sumptione Antidoti.*

Oremus.

**D**Eus, infirmitatis humanæ singulare præsidium, qui, benedictionis tuæ gratiam ægris infundendo corporibus, facturam tuam multiplici pietate custodis: ad invocationem nominis tui benignus assiste, ut per hoc medicamentum omnis de meo corpore pellatur humor pestifer; quatenus, clarescentibus meis sensibus, in tuo servitio valeam mundus persistere. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

A D

## AD PAROCHVM MONITIO.

**P**otuissemus quidem, in tuum commodum, hic inserere Benedictiones, Candelarum in Purificationis festo, Cinerum, Palmarum, novi ignis, Cerei Paschalis, fontis sacri in Sabbato sancto, &c. suis certis & statutis temporibus faciendas; sed, ne, cum mole libri, etiam sumptus crescerent, eas consulto omittendas, & te ad Missale Romanum, ubi predicta Benedictiones accurate habentur, transmittendum esse duximus.

O R D O,  
SERVANDVS FERIA QVINTA,  
SEXTA, ET SABBATO,  
MAIORIS HEBDOMADÆ.



**Q**uoad tria Matutina tenebrarum, quæ pridie post tempus Vespertinum solent haberi, & reliquas Horas Canonicas, seruetur præscriptum Breviarii Romani, sine ulla additione, immutatione, atque demptione.

Pueri, seu alii, fragoris tantum faciendi gratiâ adventantes; ad Ecclesiam (nedum ad Chorum) minime admittantur, immo, si sint, inde expellantur.

Quæ vero circa Missæ sacrificium, reponendum Venerabile Sacramentum, denudanda Altaria, adorationem Crucis, benedictionem Ignis novi, Cerei Paschalis, Fontis Baptismalis, & reliquum Officium antemeridianum, hoc triduo agenda sunt: advertat Sacerdos, ut ea omnia accurate peragat, juxta præscriptum quod sequitur, nec non Missalis Romani; nihil omnino demendo, nihil im-